



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-610149-p0002-7

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-610149-p0003-2

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-610149-p0004-8

DFG

1678.

1. Godeschalcus, Ioh.: De concilio Ephesino
2. Leiser, Wilhelm : De responsis prudentium
3. Leiser, Wilhelm : De fide si felis
4. Leiser, Wilhelm : De praemissis.
5. Levy, Ludovicus : De beneficio ordinis.
6. Martini, Werner Theod: De auctione voluntaria
7. Nierer, Joachim : De specie obligationis in aequa.  
lis, quae dictum claudicamus.
8. Rockrensen, Christianus : Figmentum communionis  
rerum primaevae, Discursus publico academico re-  
futatus.
9. Schleunlein, Gottfr. Nic.: De renditione invita.
10. Schleunlein, Gottfr. Nic.: De dominio dormienti.
11. Schoerling, Erast. Theoph: De Graeca linguae pro-  
nunciatione ejusdemq. variorum dialectis.  
<sup>29 Sept.</sup>
12. Schurzfeldius, Cor. Sam.: Civibus academicis  
histriam civilem aucturis operam studiique  
promitteret.
13. Strubergius, Balth: De ot. Xysto & veteran-



- 4  
5
14. Straus, Gottfr.: De juramento litiis decisiva.
15. <sup>a. b. c.</sup> Strauss, Gottfr.: De successione hergewechsel, geratae, aliamque rerum nobilium. 3. Exempl.
16. Straus, Gottfriedus: De revocatione delinqvientium et modo procedendi contra eosdem.
17. Wulpius, Enhances: Fortalitiorum absentorum defensionem . . . publico eruditorum exercitu enponit. 2. Exempl.
18. Ziegler, Caspar: De jure liberi denuncianti.
19. Ziegler, Caspar: De obligationibus - in genere.
20. Ziegler, Caspar: De jure vicinianum.
- 1679.
1. Knicker, Frider. Christ: Peregrinatio d. Pauli transmarina, Geographica descripta
2. Kirchmaier, Georg Karp: De obridione Hierosolymitanar, ex hist. pl. Taciti.
3. Kirchmaier, Georg Karp: Pontius Pilatus, praetor.

4. Leder, Wilhelm : De oculari inspectione.
- 5<sup>a</sup>-b = Müller, Johannes : De compositione paucis  
2 Sacra
6. Auerstedt, Joh. And. : De operibus sancte effusione.
7. Auerstedt, Joh. And. : De fructu verbi divini, fide  
et auctoritate per verbum dei.
8. Schugfleischius, Kon. Samuel : Thematia, quibus primi  
Christianorum Imperatoris antiquitatem illustran-  
tur.
9. Schwartz, Gregorius : Crimen laesae maiestatis
10. Strauss, Godefr. : De militia togata et ejus  
renalis cum sagata.
11. Ferber, Georgius : Eclogae XI.
12. Ziegler, Kaspar : De visitationis ecclesiasticae  
et procuracionis iure.
13. Ziegler, Kaspar : De commendato.
14. Ziegler, Kaspar : De mutuo.
15. Ziegler, Kaspar : De effectu magistratus ex C. 19  
P. de off. prae.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-610149-p0008-1

DFG

LXVII.  
25  
13

Q. D. B. V.  
1698


CIVIBUS ACADEMICIS  
**HISTORIAM**  
CIVILEM AUDITURIS  
Operam studiumque polli-  
cetur.

CONRADUS SAMUEL SCHURZFLEISCHIUS,  
Historiarum Professor Publicus Ordinarius.

WITTENBERGÆ,  
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.  
ANNO M. D C. LXXVIII.

studii historici dignitatem.







Lter fere mensis est, ex qvo paulò inter-  
missam pristini studii consuetudinem  
repeto, ideò qvòd Princeps *ELECTOR*  
*SAXO* de integro mihi aperuit campum  
superioris industriae, aditumqve patefecit  
ad commemorationem antiquitatis exemplorumqve  
proximorum, signumqve veluti sustulit, qvod publicè ac  
solemniter de officii partibus me commoneret, ut cum  
hæc novi muneric perfunctio alios ad bene de me speran-  
dum excitaret, tūm vobis præcipue chara pariter utilisqve  
esset. Qvæ res qvoniam est ejusmodi, ut præter multas  
magnasqve difficultates, prope infinitis, nec vulgaris do-  
ctrinæ subsidiis egeat, rationeqve tractandi exquisitissimâ,  
ut sola ferme Polybiana est, contineatur, intelligi potest,  
quantum inter historiam civilem, & veram simplicemqve  
narrationem intersit, quantumqve ea de causa onus jam  
à me suscipiatur. Nam ex qvo fonte qvæque promanent,  
qvalesvè rivuli inde ducantur, qvæ item initia causæqve  
sint eventorum, qvoqve ordine inter se apta connexaqve

A 2

inveni-

*Ratio Pol.  
nae opfi  
21.*

inveniantur, ea perseqvitur historia luculenterq;e confir-  
mat, & qvæ in eo genere rectè, aut secus evenerunt, bene  
diligenterq;e digesta, ad resq;e singulas accommodata,  
qvasi q;e in luce posita memoriæ tradit. Qvæ si ab-  
oleretur penitusq;e è mundo tolleretur, thesaurus  
qvidam prudentiæ, rerumq;e vitæ atq;e reipublicæ  
utilissimarum periret nobis, posterisq;e eriperetur, mi-  
nimeq;e frueremur recordatione virtutum, qvarum  
nulla ætas tam sterilis fuit, ut earum exempla aliis  
seqvenda non proderentur. Igitur multæ & graves mi-  
*nptores* hi causæ sunt, cur imprimis nostro ævo gratuler, siqvi-  
*ntur è* dem id omnem sanè adhibet diligentiam, ut in hoc tam  
egregio copiosissimoq;e doctrinæ genere nullas partes  
suas desiderari patiatur, nec modò Græcos, à qvibus alio-  
q; vi prima atq;e optima sicut aliarum artium, ita etiam  
tradendæ historiæ ratio profecta est, Romanosq;e, saltem  
illorum æmulos, & prudentia usuq;e rerum nihilo infe-  
riores, verùm etiam nostratis populi scriptores eruat ex  
tenebris, vindicetq;e in veterem libertatem. Qvod pau-  
cis abhinc annis rebus Germanicis prosperum evenit,  
qvùm multi & doctrina & meritis egregii viri hoc summo  
studio, atq;e omnibus viribus egerunt, ut qvæ antehac vi-  
sa fuerant deperdita, nuper haud inani laboris fructu con-  
qvire-

qvirerent, feliciter q̄ve reperirent, & hoc etiam assecuti, ē  
periculo oblivionis eriperent, codices q̄ve hujus argumen-  
ti partim ederent, partim edituros se reciperent, eō qvōd  
pro sua in literas voluntate non committendum puta-  
rent, ut res publica tot & tantis monumentis fraudaretur.  
Qvare vehementer optandum est, ut perplures de patria  
bene meriti auctores, qvos summa cum industria collegit  
nostrorum temporum Varro, Melchior Goldastus, susce- *Goldastus*  
pturo curam Petro Lambecio, qvām primūm adornen-  
tur, præloq̄ve exprimantur. Cujus librorum fortunæ  
cum recordor, tūm commodūm animo meo occurruunt  
commemorationes Hermanni Abbatis, qvæ inscribuntur  
*Chronicon Alt aichense*, insignem q̄ve partem Norici Bojo-  
rum q̄ve gentis complectuntur, qvas tanti fecit Christo-  
phorus Gevvoldus, ut earum nomine, expostulet cum  
annualium Bojorum conditore Johanne Aventino, qvasi  
non modo hujus culpā, sed etiā consilio intercidissent,  
ut posteros fugeret, qvibus ex fontibus res sententiasq̄ve  
multò uberrimas deduxisset. Sed sive culpa, sive negli-  
gentia ejus reprehendatur, resarcivit eam jacturam nuper  
diligentia Petri Lambecii, qui monumentum id diu inter  
deperdita numeratum inter bibliothecæ Vindobonensis  
Codices reperit, atq̄ve ē tenebris in lucem vocavit. Pa-

A 3

rem

*P. Lam*

rem Andreæ Angeli fortunam graviter magnopereqve  
doleo, qvi et si non æqvavit laudem, qvam historiæ Civilis  
vindicamus, tamen plenam uberemqve ad scribendum  
materiam habuit, honestumqve & facile etiam primum  
inter scriptores suæ gentis locum est consecutus: cumqve  
ejus & reipublicæ interesset, monumenta, qvæ is summo  
qvidem cum labore impendioqve collegerat, diligenter  
conservari: aliquanto post, qvam rebus humanis exempli  
tus est, accidit, ut luculentii illius magnoqve tabularum  
apparatu adornati operis cūra atqve cogitatio abjicere-  
tur, prorsusqve thesaurus antiquitatis, ex templis fanisq;  
& paretustis schedis comparatae, maximeqve ad vicini-  
am pertinentis, interverteretur. Non hic recorda-  
bor Cyriaci Spangenbergii, cuius migratio, aut exilium  
potiùs, dici non potest, quantum damni dederit superio-  
rum rerum commentariis, in qvibus tota nunc opera no-  
stra versatur: nisi qvòd inter ruinas tam luculentii ædificii  
pauca qvædam rudera benigniore fato ad me pervene-  
runt, in qvibus perspicere mihi videor imaginem sum-  
mæ & singularis industriæ, qvam castigandis qvodam-  
modoqve retexendis Ernesti Brotuffii scriptis ille  
ipse auctor declaravit, notationibusqve manuscriptis to-  
tum ferme ejus Chronicum Anhaltinum distinxit atqve  
expoli.



expolivit. Sæpe autem optavi, ut ea facultas judicii, qvæ  
in Caspare Peucero inerat, utrisque contigisset, qvando-  
qvidem à subsidiis minimè inopes erant, pragmaticon.  
autem illud Polybianum non peræqvè assecuti sunt, in  
qvo lacertos qvasi movit Peucerus, qvo Viro post dece-  
sum Philippi Melanchthonis, Germaniæ Socratis, nihil  
facilè doctius patria nostra habuit, rationemqve scriben-  
di in eo genere optimam etiamnum laudat ac miratur.  
Eò minus tempore abutar, si dixero, fato ita datum fuisse,  
ut Melanchthon hic inter primos ederet Conradi Ur-  
spergensis *Chronicon*, & literis in sordibus & squalore ja-  
centibus nitorem, historiæ absurditatibus nugisqve de-  
pravatæ pristinum decus afferret. Idcirco pro eo, ac  
debeo, ejus & Peueri, Vitiqve Vinshiemii Senioris, &  
Friderici Tilemanni, Laurentiiqve Rhodomanii,  
virorum certè clarissimorum, memoriam jucundis-  
simè colo, propterea qvòd dotes ab natura  
datas incomparabili doctrinâ exornarunt, humanitatisq;  
& historiarum studia summa cum laude hoc in loco atqve  
regionibus Saxonis amplificarunt, ac in omni etiam ge-  
nere artium, à Græcis Latinisqve proditarunt, omne pro-  
pemodum vitæ tempus consumserunt, mihiqve etiam, &  
ante me hanc viam ingressis multò eruditissimis viris lu-  
men qvasi diligentia prætulerunt. **Q**uibus hoc qvoqve  
pace

Peucerus.  
circ.

Melanch.

et reliqu.

pace vestrâ subjungam, qvòd Melanchthon & Peucerus  
non tantùm abditos veteris historiæ recessus perscrutati  
sunt, verum etiam recentiora & selecta qvædam attinge-  
re voluerunt, delectumqve rerum habuerunt, ac deniqve  
in possessionem laudis à Johanne Carione relictæ immi-  
grarunt. Is mònachus fuit doctus & prudens, vixitqve  
Berolini inter sectæ disciplinæqve Ordinis sui homines,  
historiamqve breviter complexus, magnam laudem pro-  
meruit, duum virosqve à me nominatos sucepto insigni-  
ter labore induxit propeqve accedit, ut qvod usui esset,  
posteritatiqve conduceret, eleganti & doctâ ratione imi-  
tarentur, proqve voluntate sua erga literas Chronicon  
ab eo incepsum perficerent, atqve ex instituto perseque-  
rentur. Qvò pluris autem hos facio, qui præceptis atq;  
exemplis eam rationem peropportunè ingressi, eadem  
viâ feliciter constanterqve perrexerunt, eò minùs hanc  
gloriam asseqvi, aut æqvare potuerunt Græculi seqvio-  
culi seqviorum temporum, qui toties de hoc curriculo deflexerunt,  
qvoties narrationes potiùs, non doctrinæ qvidem, sed  
certè prudentiæ expertes, qvàm historias scribendas su-  
fseperunt. Longum esset hic contendere scriptores pri-  
scos, qvorum alii in omnibus vitæ prudentiæqve parti-  
bus versati, vim suam copiosè graviterqve diffundunt,

alii

criter in tanto tamque operoso argumento versantur, nonnulli etiam non modò non modica præsidia sunt consecuti, sed ne exigua quidem bene sapienterq; ad hoc institutum compararunt, & plerunque etiam insignia ad usum tractationemque vitæ negotia jejune ac tenuiter enarrarunt. Ut mihi causa mirandi sit, cur Flavius Vopiscus, unus ex minoribus historiæ augustæ scriptoribus tantum sibi sumat, ut Livium, Sallustium, Tacitum, Trogum, historicos doctrina, ingenio usuque maximos mendaciorum temere coarguat: nisi cum Antonio Mureto, viro multæ eruditionis atque diligentiae dicere velimus, Vopiscum, qui de gravi & pragmatico superiorum temporum scribendi genere immane quantum discesserat, id scripsisse, non quod sic esset, sed qvia ipse etiam aliquo numero esse cupiebat: quanquam id meâ opinione temere scripsit, neque cum veteribus istis, quos frivolo sermone insectatus est, ullà ratione sit comparandus. Utinam verò omnia Livii monumenta etiamnum superessent, ut haberemus, unde ejus epitome, inter quam & Flori epitomen permultum interest, suppleri utiliter augerique historia tam cumulatissimâ accessione posset. Perexigua enim sunt, quae Messala Corvinus leviter tangit, cur-

Vopiscus

pragmatica  
scribendi

L. epitome

Messala

B sim.

Dio.

autur.

lemaur.

ing Marcelli

abo.

aliquant.

simqve tractat de Germania I. & II. itemqve de Belgica I. & II. qvorum jacturas nec Dionis prudentis, & judicio præstantis historici industria resarcivit. Nam qvod de Gallicis rebus nuper illi objecit vir doctissimus Jacobus Palmerius, id qvia non est hujus instituti, alibi dispiciam, lateq; explicabo. Nec video, qvamobrem de Taciti laude detraxerit, qvi præter reconditam prudentiam, consiliorum fontes rarâ, nec mediocri diligentia est perscrutatus, fuitq; aliquandiu in Belgio, Germanorumq; mores & habitus ex propinqvo vidi, multaq; tradidit & conservavit, qvæ alioqvi cum Aufidii Bassi, Pliniiqve Senioris ejus argumenti libris deperdita prorsusqve sublata fuissent. Nam & ipse Ptolomæus, externus homo & Ægyptius, ceteroqvi in pulvere coelestibusq; rationibus sollicitè atqve diligenter versatus, in rebus Belgii qvædam prodidit, qvorum notitia accuratior aliunde peti debet, qvod libenter qvidem nunc ostenderem, si liceret huc ab Ammiani Marcellini, oculati testis luculentas planasq; utriusqve Germaniæ, & utriusqve Belgii descriptiones. Etiam Strabo, qvi Romæ imperante Augusto flouruit, Germaniamqve per nuncios & milites propriis cognitam habuit, rationesqve Geographiæ, qvatenus ad usum

sum historiæ civilis pertinent , magis explicatas explora-  
tasqve reddidit , ac ipse Ptolomæus , in rebus Belgicis , qvæ  
cum Germanicis magnam veteremq; cognationem ha-  
bent , à præstantissimo Belgii Romani scriptore Ægidio  
Bucherio interdum , nec sine causa , est notatus . Itaqve <sup>Straboni op-</sup>  
huic tam prudenti eruditoqve Geographo operam da- <sup>daturi quoq;</sup>  
turi videant , qvâ auctoritate argumentoq; adductus scri- <sup>gerere debet</sup>  
pserit , & qvale id sit , qvomodo cum Cæsare , Plinio ,  
Mela , aliisqve congruat : tūm Ptolomæus qvoq; veniat in  
conspectum , & an inter eum Strabonemqve conveniat ,  
accurato judicio pondéretur : exempli gratia , an fines  
Belgii proferendi sint ad Ligerim , qvam controversiæ  
partem ex solo Strabone minimè conficiamus . Nam  
& hic ratio Ptolomæi cum primis est habenda , qvippe  
qvem fortuna conjunxit cum temporibus Imp. Antoni-  
ni , qvo rerum potiente celebre *Itinerarium* , qvod ab eo <sup>Itinerari</sup>  
qvoqve nomen tulit , sed ab Anniano isto , perperam mu-  
tato vehementerq; depravato diversum est , prodit in lu-  
cem , cuius fama longissimè , & ad ipsos usqve Ægyptios ,  
nominatimq; Alexandriam , ubi Ptolomæus claruit , com-  
mendatione judicioqve doctissimorum hominum per-  
manavit , propterea qvòd ea urbs tunc amplitudine glo-

riaqve eruditionis adhuc floruit, uberrimaqve ad literas  
atqve artium disciplinas fuit. Illud verò est longè in-  
dignissimum, qvòd multi, qvamvis totos se his studiis tra-  
derent, audaci propeqve temerario conatu veteres hu-  
jus qvasi fundi nostri terminos moverunt, nec modò do-  
ctrinæ, sed etiam fidei suæ laudem, malè de patria anti-  
qvitate meriti obscurarunt, & situs locorum, flexusqve  
fluminum, ac sedes limitesq; antiquos, Rheniqve itinera,  
& accolarum positus atqve habitationes nimis licenter  
commutarunt. Qvod dum animo occurrit, parùm  
abest, qvin audaciæ isti subirascar, cuius ne nunc qvidem  
*pg Cluverij*  
*fur.* causa mihi deest, qvùm in Philippi Cluverii Germaniam  
antiquam intueri soleo, in qua multa, nec aptè mutat ac  
refingit, sæpeqve plus suis conjecturis, qvàm fidei testi-  
moniisq; scriptorum primæ & mediæ antiquitatis ven-  
dicat, ac pleraqve ex ingenio comminiscitur, qvæ cum à  
rebus interdum abhorreant, tum instituto auctorum  
nonnunquam adversantur. Cæsarem, Strabonem, Pli-  
nium majorem, Tacitum, Dionem, Ammianum Mar-  
cellinum, Zosimum, & perplures si maximè asseqvitur,  
tamen non unâ vice eorum dicta aliter exponit, ac illi  
senserunt, multaqve firmis in rationibus atqve sententiis

po-



ras  
in-  
tra-  
nu-  
do-  
ti-  
que  
ra,  
ter  
um  
em  
m  
ac  
ti-  
n-  
à  
L.  
li-  
r,  
li  
is  
-  
posita haud recte cōgruenterq; interpretatur. Neq; hic re-  
ticebo virum perdiligentem insigniterq; doctum Christo-  
phorū Sandium, proximè aliquoties id ausū, ut nescio de  
industria, an per imprudentiam de aliquibus Chronico-  
rum scriptoribus haud idoneè existimaverit, multaq; ad  
liquidum non explorata scripsérat, qvæ nec Vossio, qvem  
castigat, satisfaciant, neq; Lambecio, qvem & Sam-  
marthanos fere seqvitur, omni ex parte probentur. Tūm  
vero postulat hujus instituti ratio, ut affirmem, plerosq; ve-  
dum ad ingenii lectionisq; gloriam referrent omnia,  
conjecturisq; niterentur, in hos scopulos culpâ suâ in-  
cidisse, in qvos non qvidem aliquid graviùs dicam, sed <sup>nimia aud</sup>  
profectò nimiae audaciæ eos non absolvam. *Qvos enumē-*  
*Thomas R.*  
rare supervacuum est, nisi qvòd adjiciam de Thoma Rei-  
nesio, qui nulli exterorum concessit eâ parte eruditionis,  
qvæ ratione & judicio lectionis continetur, unusq; est  
is, qvem nostrâs Saxonias cum omnis ævi maximis viris  
potest comparare, omnia ejus apud Gallos Italosq; esse  
in pretio, magnopereq; & merito æstimari, qvanquam  
uni alteriq; Batavorum jam nuper visum est, eum sic ju-  
res suo fuisse usum, ut mansuetudinis modum excederet,  
acriterq; & asperè nimis auctorum menda corrigeret &

mutaret. Etenim qvod Sandius ipsi in vitio ponit, qvasi  
vir ex omni memoria doctissimus ~~aristogenias~~ dedecus ad-  
misisset, id alibi confectum dabo, simulqve de sententia,  
qvam de Annianis dixit, consideratè diligenterqve vos  
commonebo, & unà etiam explicabo, qvale id sit, qvod  
non ita pridem eodem prope consilio Thomas Bartholi-  
nus junior de Johanne Turpino sensit censuitqve, qvum in  
eo sanè totus esset, ut justam Holgeri Dani historiam  
instrueret planeqve adornaret. Cum vero de industria  
Reinesii cogito, tūm de præsidiis ornamentiisq;, qvæ huc  
attinent, subinde mecum delibero, apparatusqve inscri-  
ptionum, qvibus ille nostro ævo palmam tulit, item nu-  
morum, statuarumqve, annulorum insuper & gemma-  
rum, præterea sigillorum, insigniumq; gentilitiorum re-  
qviri scio, sine qvibus nemo veteris historiæ cursum rectè  
conficiat, sineqve tabulis etiam & instrumentis publicis,  
actorumqve non fallentibus documentis nemo in curri-  
culo hoc, præcipue recentiorum rerum, feliciter proce-  
dat ac progrediatur. Qvamobrem in magno loco nu-  
meroqve apud me sunt Gallorum doctissimi Emericus  
otius, Baluz, Bigotius, Stephanusq; Baluzius, nec non apud Italos Ca-  
rolus Dati, Antoniusqve Magliabechius, qvi summa ra-  
tio-

tione diligentiaq; perquirunt & rimantur, qvæ injuria tē-  
porum propemodum obliteraverat, caligoq;ve inscitioris  
avi obscurārat. Nil dicam de Francisco Barberini, qvi cu- Barberini  
ra studioq;ve antiquitatis diu Germanos ad se convertit  
qvasiq; traxit ad imitationem hujus laudis, exemploq;ve  
monuit, suæ sectæ disciplinæq;ve hominibus rationem sa-  
cri otii constare oportere, ut neq; antiquitatis curam ab-  
jicerent, neq; dignitatis suæ obliviscerentur. Nec absur-  
dè putaverim, Germanos, qvod ab Italis qvondam sive ad  
ingenii cultum, sive ad literas expoliendas insigne elegans-  
q;ve acceperunt, nuper per Lucam Holstenium sagaci fru- Lucas Holste  
galiq; genti multò uberrimè reddidisse, qvæ ipsa mecum  
Georgii Hieronymi Velschii jacturam vix modicè fert, Hieron. Velsch.  
graviteq; dolent Vindelici & sentiunt, in eo se Reinesium  
qvendam amisisse. Lenit tamen qvodammodo ac sola-  
tur hunc dolorem Henricus Meibomius, dignus avo ne- Henr. Mei  
pos, qvi post Hermannum Conringium, quem nominas-  
se satis est, in ea quoq;ve studiorum parte omnia summa  
Juliæ suæ præstat, pluraq; pollicetur. Qvod eo jucundi-  
us mihi accidit, qvod in vicinis aliisq; Academiis viri non  
spernendæ diligentiae magno cum meo gaudio emerse-  
runt, qvi sponte suâ excitati, tuendum ornandumq;ve hoc


decus

decus susceperunt , ut prodita à Conringio & Bœclero exempla  
summo studio & probarent & seqverentur. Neqve eorum meritis  
fraudi esse debet , qvòd magnam qvoqve partem hic sibi vendicant  
Jureconsulti , qvi antiquitates nostras luculenta commentationum  
suarum accessione adauxerunt : diceremqve liberè ac palam confi-  
terer, magnam fructus partem studiis meis eripi , si præter superio-  
rum JCtorum monumenta , qvæ in omni genere eruditionis mihi  
profuerunt , aditumq; etiam, perinde ut Mureto olim, ita & mihi ad  
interiores melioresq; literas patefecerunt , nihil à nostratis etiam  
elucubratum elimatumq; esset, qvippe qvorum sunt bene multi, atq;  
*Strauch. Ziegler.  
auratig. Eichel.  
navig. Mastric.*  
inter hos Johannes Strauchius, Caspar Zieglerus, Ericus Mauritus,  
Johannes Eichelius, Georgius Adamus Struvius, Gerhardus Ma-  
strichtius, aliiqve historiæ pariter atq; juris prudentissimi viri, qvo-  
rum libri & schedæ veram semperqve duraturam nostratis hujus e-  
ruditionis gloriam servant. Verum enim vero hæc scriptio non eð in-  
stituta est , ut perscribam elogia clarissimorum doctissimorumqve  
hominum, qvorum præstantissima opera jam diu auctores suos illu-  
strarunt, nominaqve posteritati propagarunt , sed ut Serenissimi ac Potentissimi  
Principis & Domini, Domini JOHANNIS GEORGII II. Saxonie, Juliaci, Cliviæ  
& Montium Ducis, Sacri Romani Imperii Archimareschalli atq; Electoris, Landgra-  
vii Thuringiæ, Marchionis Misniæ & utriusqve Lusatiae, Burggravii Magdeburgi,  
Comitis Marcæ , & Ravensburgi , Dynastæ Ravensteinii , ETC. ETC. ETC.  
Domini mei clementissimi , voluntati atqve impetio morem geram , cui ab  
Senatu hujus Academiæ unâ mente & consilio prolixè sum commendatus, uti  
mihi in posterum tradendæ historiæ negotium daret. Qvod ubi ope consilio-  
qve Patrum ea, qva optavi, ratione adeptus, Vitoqve Amplissimo & clarissimo  
GEORGIO GREENIO, nunc Potentissimi Principis Oratori Ecclesiastico  
maximè venerando succedere sum iussus, omnino statutum habeo, Principi  
benignissimo obseqvium, Academiæq; observantiam dignè ac reverenter pro-  
bare. Qvare Magnificum Rectorem, Patresqve Academiæ Patronosq; & existi-  
matores hujus studii omnes & singulos oro obsecroqve, ut me cras ab H. IX.  
de vero historiæ usu pressè tenuiterq; dicere pro auctoritate sua patiantur, audi-  
req; ne graventur. Ad postremum Cives Academiæ qvælo moneoq;, ut officium  
perlibenter navaturi, frequenti numero conveniant, verbaqve facturo atten-  
tos compositosqve animos afferant, & data oblataqve excolendæ deinceps hi-  
storiæ occasione qvam diligentissimè utantur. P. P. Wittenbergæ  
DOMINICA XIII. post TRINITATIS A. recuperatæ sa-  
lutis cl. Ioc LXXVIII.




TA → OL

KD77



Farbkarte #13



Q D. B. V. 1678  
CIVIBUS ACADEMICIS  
HISTORIAM  
CIVILEM AUDITURIS  
Operam studiumque pollicetur.

CONRADUS SAMUEL SCHURZFLEISCHIUS,  
Historiarum Professor Publicus Ordinarius.

WITTENBERGÆ,  
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.  
ANNO M. D C. LXXVIII.

studii historici de fiontate.